

rebus ipsius prepositus exquirere poterit, dimidia pars preposito remaneat, altera pars ad usus fratrum transeat. mansi et alia que vacaverint, que discreta dispensatione locanda sint, ad partem fratrum respiciant, cui vel quomodo aut quare ea locare velint. in rebus ecclesie exigendis, ubi dispensator fratrum aut ceteri fratres minus sufficiant, prepositus per omnia paratum se pro debito officii sui exhibeat. mansi qui in hoc territorio siti sunt, quos necessitas hujus ville *vurewere* ad culturam non exposcit, inter fratres dividantur. semina quoque aut frumentum agrorum, quos fratres possident, ad salam ipsorum post mortem eorum semper pertinere censeo, ut ea cum omnibus suis rebus libere ac sine omni contradictione ecclesie vel pauperibus aut amicis suis tradant. si, defunctis fratribus aut ulla occasione sine impetrata licentia abeuntibus, aliqua prebenda vacaverit, dum alius frater substituatur, dimidia pars prebende preposito deserviat, altera vero pars in usus fratrum transeat. hec sicut memorata sunt, specialiter utilitati fratrum et eorum liberrime ordinationi deputanda censeo, nichil mihi in his vel posteris meis prepositis vendicandum judico.

ista autem sunt, que ad utilitatem prepositorum ex antiquo jure constituta sunt. de villa Stasfurthe tres solidi pro sinodali jure et plaustratum salis valens x solidos, xvj solidos debent dare Selavi pro corio, iij solidos pro lino et iij pro semine lini; vj solidos dant pro caballis, viij solidos pro hospitiiis, iiij solidos in natale pro porco, de predicta villicatione xij choros tritici, xvj ordei, viij avene, ij sexagenaria gallinarum et tria ovorum. hec omnia dant Selavi ad reditus prepositi. insuper dantur ei de banno xxiiij sexagenaria annone et de vj villis nummus de quolibet hospicio. et de villa Atteneslove datur ei modius avene de quolibet hospicio. de villicatione in Zwiliken iiij solidos, qui preposito pro porco in natale Domini debentur, ad celebrandum festum conceptionis beate Marie fratribus annuatim confero. insuper de eadem villicatione in cena Domini porcus valens solidum et v galline et sexagenarium ovorum preposito debetur. in festo s. Stephani tamen de villicatione hujus ville tantundem preposito debetur, ad hoc duo sexagenaria avene ad pabulum. insuper prebendam suam habebit.

supra memoratis omnibus eo ordine, ut dictum est, anno dominice incarnationis m.c.lxx.iiij, indictione xiiij, legitime peractis, ut de cetero nec ab aliquo preposito nec a fratribus vel ipsorum successoribus hec infirmari valeant vel inmutari, ego Reinhardus Halberstatensis et s. Bonifacii prepositus unacum venerabili decano Tietmaro et majoris capituli conventu in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti et auctoritate apostolorum Petri et Pauli banno nostro confirmamus ac sigilli nostri attestatione communimus. si quis autem aut successor meus prepositus aut alius quis hanc institutionis paginam immutare vel infringere voluerit, primo secundo tertiove commonitus, si non resipuerit, anathemati subjaceat et in extremo articulo vite sue a sacra communione dominici corporis et sanguinis alienus fiat et in die judicii